

pam, qui instituerunt festum Sortium, eò quòd à nefariis consiliis & sortibus Hamanis Diabolicis & sanguinariis fuissent erepti. Imitantur Danielelem, at quantum Virum! qui occlusa ora Leonum, ne se uno rictu discerperent & absorberent, soli DEO Angelum suum mittenti transcripsit. Imitantur Judæos, qui duce Judà & fratribus Hasmonæis, cùm templum secundum recuperassent & repurgassent à tyrannide Antiocbi Regis, singulare festum quotannis mense Decembri celebrandum sanxerunt. Ita &, Nepote Cornelio teste, universa Sicilia natalem Corinthii Timoleontis festum habebat, ut quo ipse die prælia maxima fecisset omnia, atq; in bis Siciliam à Dionysio & Icteta tyrannis liberavisset. Et toties sanè, quod leviter inflexis verbis de M. Marcello retulit Stentoreus Romanarum laudum ebuccinator Valerius, nostra Angelorum bonorum laudatio variari potest ac repeti, quoties novis ipsi gradibus defensionis atq; tutelæ adversus nos, suos socios, nisi fuerunt: utuntur enim cotidie & semper. Liberabatur David & Daniel à leone uno & altero tùm quadrupede tùm bipede; Judæi & Siculi à tyrannis, sed qui & ipsi ab ipsis illis occidi possent. Nos verò protegunt Angeli à tyrannis immortalibus, qui toties repulsi redeunt tamen & majores vires ac viros sumunt: protegunt à leonibus rugientibus ex inferno, qui legionum ignearum instar invadunt unicum hominem, sed precipitant secum in mare Phlegethontæum numerosum gregem porcorum. O ingentem Dei misericordiam, ô mirificam Angelorum tutelam!

Tibi proinde, ô Pater cœlestis, supplices preces fundimus, ut, quia hostes & multi nos obsident & magni, nos verò infirmi sumus & ar-

mis